



coyrat. 2 470. 4. 901.

Samuelhof

u

9.

D. D. B. V.
DISSERTATIO PHILOLOGICA
DE
פָּרִי מִקְלֶט בְּלֵיַם
SIVE
**PRAESIDIARIIS
LEVITARVM
VRBIBVS,**
Quam
AVSPICIO
SERENISSIMI PRINCIPIS ATQVE DOMINI
DOMINI
FRIDERICI AVGVSTI
ELECTOR. SAXON. HEREDIS,
IV. NON. JANVAR. A. R. G. M. D. CCXXV.
IN AUDITORIO MAIORI
Publice tuebuntur
PRAESES
JO. CHRISTOPHORVS
VVICHMANNSHAVSEN,
Linguarum Orientalium Prof. Publ. Facult. Philosoph. Senior,
& Biblioth. Academ. Director,
&
RESPONDENS
M. DANIEL ROSENFELD,
Lipsiensis.
VVITTEBERGAE, TYPIS SCHROEDERIANIS.



DISSE^TAT^O PH^ILOLOGICA
DE
שָׁרֵי מִקְלָט בְּלוּזִים
SIVE
PRAESIDIARIIS LEVITARVM VRBIBVS.

I.



E Praesidiariis Levitarum Vrbibus, ad quas sanguine commaculati, salutis causa, se recipere, tutoque ibidem, postquam fuerant innocentes in iudicio deprehensi, delitescere poterant, & MOSES Exod. XXI. Num. XXXV. Deut. IV. & XIX. & IOSVA. Cap.

XX. nos informant, quod in Israele sex in universum, urbes illiusmodi, olim extiterint, tres scilicet Trans-Jordanem, & totidem Cis-Jordanem. Itae ut ut prius per MOSEN, Num. IV. 43. quam hae, constitutae fuerint, religiosum tamen, sive asylius, vel potius, juris hujus exercitium, ante, Transjordaninae, indepta non sunt, quam reliquae etiam tres, Cis-Jordanem, sive in ipsa Palaestina,

A. 2. sitae,

sitae, ad peculiarem hunc, per IOSVAM, l. c. v. 7. usum se-
parentur. לְהִכּוֹן, inquit hunc in finem MISCHNA
טָוְלֵין לְשׁוֹרֶם מַקְלֵט סְמֻכָּת Cap. II. Sect. 4.
לְשָׁלֵשׁ שְׁבָנָכְר הַיּוֹרֵן וְלְשָׁלֵשׁ שְׁבָאָרֶץ כְּנַעַן שְׁבָאֵת בָּנָי
הָרָשֶׁת חֲתָנָה וְנוּמָה עַד שָׁלָא כְּחָחוֹ שָׁלֵשׁ שְׁבָאֵי לְאָ
הָוּ שָׁלֵשׁ שְׁבָנָכְר הַיּוֹרֵן קָלוֹתָה שְׁנָיָשָׁשׁ עַד מַקְלֵט הַיּוֹנָה
עַד שִׁיחָוּ שְׁלַחְתָּו קָלוֹתָה כָּתָה. Quorsum fugiunt ex-
iles? Ad urbes receptus: tres ultra Iordanem; tres,
quae siue sunt in terra Canaan. Q. D. Num. 35. 14.
Tres urbes constitueris etc. Donec ternae illae in ter-
ra Israhel delectae non erant, ternae illae ultra Iorda-
nem non recipiebant. Q. D. Ibid. v. 13. Sex urbes rese-
ptus erunt. Ex quo ternae istae constitutae fuerunt,
recipiebant pariter. Sex his alias quidem tres, tunc
nimirum, quando magis dilatati essent Ebraeorum ter-
mini, Deus superaddi jusserat, sed inobedientia, et con-
sumacia, iforum, ut TH. GODVIVN, in Mose et Aaro-
ne, p. m. 18. adnotat, in cassa suisse videntur, cur pro-
missi hujus impletione, quam Scriptura S. prorsus filet,
frustrarentur. Quod ad reliquias attinet Levitarum civita-
tes, MAIMON, in Halach. Rotzach, Cap. VIII, et quihunc,
ex Ebraicis aequae ac Christianis, sequuntur Doctores, com-
muniter statuunt, quod sex quidem asyla fuerint pri-
maria, sed tamen quoque XLII Levitarum urbes homi-
cidas in tutum receperint. Ternum enim inter sex
urbes, et XLII, discriminem intercessisse, siquidem istae ho-
miciam non excludere, haec vero excludere potu-
erint; istae percussori immune dederint domicilium, in
his vero patrifamilias coimmorationis mercedem exul
solvere debuerit; istae ginaros, et nescios, juris, qui
se securitatis, vel alia cassa, eo receperant, admis-
serint;

rint; haec autem nescios juris non protexerint. Sed cum urbes Refugii sex, *Num. XXXV*, 6. a reliquis *Levitae* urbibus accurate discriminantur, et, ob tributa iisdem securitatis privilegia, aperte ultimis his contradistinguuntur, nondum, ut putamus, habebunt prioris sententiae patroni, in quo pedem tuto figant.

II.

Vocantur sex istae, ad quas utroque hic respiendunt est oculo, urbes, in Scriptura autentica, communiter ערים, ab עיר urbs, civitas, sive magna, sive parva, sive muris cincta, sive etiam ab iisdem denudata; cum קריota e contra urbem, vel civitatem, splendidam tantum, significet; et a radice טולק, cuius in *Targum* rara, apud *Rabbinos* frequentissima, injicitur mentio, quamve *BVXTORF.* in *Lex. Chald.* et *Talmud.* p. 2037. per colligere, recipere, continere receptum, interpretatur. Erant itaque מקלט, ערי urbes receptus, vel refugii, istiusmodi urbes, ad quas supplices homicidae eum se in finem recipiebant, ut *Vltori* sanguinis, vindictae cupidissimo, subduci, vitae, et salutis, sue prospicerent. Apud *IOSUAM C. XX. 9.* חטוערָה, urbes (ad quas scilicet quis profugere poterat) publice constitutae, nuncupantur, cuius ultimae notionis incunabula a יער repetenda sunt, condicere, indicere, constitutere, scilicet locum, vel tempus, certas rei peragendas, ita ut ניל nihil aliud sit, quam locus, & tempus statutum, constitutum, vel conditum, item, convenitus solensis, coetus publicus, et festum solenne, ad quod publice omnes convenient. *CHALDAEUS* *Num. XXXV*, 11. per קריין שוכנות Kirve schesabuta, Urbes exceptionis, & liberationis, Ebraica vertit, a שוכן, crux, eripere, ac liberare, ut idem *BUXTORF.* l. c.

p. 2357. nos edocet. οι Ἐβδομάκοντα ubi vis sibi non constant, sed nunc per πόλεις Φυγάδευσης, Civitates Refugiorum, quod a Φυγάδεω, exulo, fugio, vel potius exulam facio, in exilium pello, unde et Φυγάδεως, fugitatio, ortum suum trahit; alibi per Φυγάδεω, ut Num. XXXV, 15. & iterum v. 27, 28. per πόλεις καταφυγῆς, urbes refugii, vel perfugii, quales & περιφύγεται, latebrae, dicuntur, mentem suam hic exprimunt. Apud profanos, Gracces & que ac Latinos, scriptores urbes istiusmodi sub Ασύλων, Asylorum, nomine veniunt, siquidem πόλις Ασύλος, intemeratam, & inviolatam, urbem, quemadmodum Ασύλος τόπος 2. Maccab. IV. locum, a violentia tutum, & sacrosanctum, significat. Homines etiam, a praeda immunes, & quos spoliare nefas est, Ασύλοι vocabantur, ab ασεριασθαι, & οὐλη, spolium, praeda, item a לִישׁ, συλλα, praeclari, spoliare, imo per Ασύλων, istiusmodi immunitatem, sive ius, quo quis ob loci sanctitatem, & religionem, ita fruebatur, ut nullam vim, nullam injuriam, pati debuerit, Graeci indigitant. HIERONYMUS Num. XXXV, 6. loca haec, per oppida, in fugitivorum auxilia separata, v. 12. per praesidia fugitivorum & v. 13. per urbes, ad fugitivorum subsidia, circumscribit. Nos non tam ad vocis etymon, quam ad rem ipsam attendantes, praesidiarias vocamus urbes, eo, quod innocentes homicidae, tutissimum vitae, quae in summo versabatur discrimine, praesidium ibidem inveniebant.

III.

Tres harum urbium, ut supra monuimus, Trans- et todidem, Cis-Iordanem, sive in ipsa Canaan, positae erant. Trans-Iordaninarum prima est בֵּצֶר, BEZER, quae et בָּזַר, Bozra, ab Ebraeis dicitur, et ex tribu Ruben, eiusdemque haereditate, trans Arnonem, longiusculo inter

tervallo, in Moabitidis planicie, vel, in campis, quos Scriptura alias Moabiticos vocare solet, selecta erat. Et haec ipsa ab altera quadam, quam IES. Cap. XXXIV, 6. apud Idumaeos collocat, accurate discriminanda est. Proximum ab hac locum sibi vendicat, RAMOTH, רָמוֹת גִּלְעָד, in tribu Gad, & in Galaad regione, quae totam istam complectebatur, sita, unde et Ios. XXI, 38. cum addito, RAMOTH, רָמוֹת הַמִּצְחָה, in Gilead; alibi vero, ut Cap. XIII, 26. RAMOTH MIZPEH, h. e. collis speculae nuncupatur. Fuit autem haec ipsa non civitas quaedam sacerdotalis, ut cum Eusebio HIERONYMUS, in Loc. Ebraicis, docet, cum sacerdotales omnes, Iuda, et Benjamin, tribus, ambitu suo complexae fuerint; sed Levitica, & Refugii quaedam Civitas, postquam inter Leviticas Ios. XXI, 38. & I. Paralip. VII, 80; inter Refugii vero Civitates, Deut. IV, 43. & Ios. XX, 8. ista connumeratur. Cave autem, ne nostram hanc cum alia Ramoth, in tribu Issachar, quae similiter Levitica erat civitas, aut cum alia etiam, in tribu Iuda, vel Simeonis, ad Meridiem, cuius mentio I. Sam. XXX, 27. injicitur, turpiter confundas. Neque etiam גָּלָן, GOLAN, quae tertium locum occupat, & Gau-
 lon quibusdam scribitur, sacerdotalis, sed similiter Levitica erat, Ios. XXI, 27. & I. Paralip. VII, 71. et ad Refugii quoque urbes Deut. IV, 43. & Ios. XX, 8. reducitur. Ab hac urbe celebri tota circumjecta regio dicta fuit Gaulonitis, vel Gaulonitica, cuius pars superior, inde a Libano monte, ad lacum Genesaret usque; Inferior autem, a littore Genesaretib ad Galaram, urbem, communiter definitur. In altera Jordania parte, sive Circordanina provincia, h. e. in ipsa Palæstina, ex Mosis mandato, Deut. XIX, 2. totidem Praesidiariae urbes erigen-
 dae

dae erant, quae et per IOSVAM C. XX, 7. reapsē erēctāe
 fuerunt, & in tribū quidem Naphtali, שְׁפָתִים CADES,
 quae alteri, in tribū Indae, qua de idem IOSVA Cap.XV,
 33. agit, palma facile praeripiebat. Fuit vero urbs i-
 sta, magna aequē ac munita, &, ob agri adiacentis u-
 bertatem, nullis non rebus plurimum abundans. Hac
 ex urbe, quae in Galilaea Superiore, super montem
 Nephtalim, posita, & versus Boream, a Sephet & Caphar-
 nao civitatibus, quatuor; a Tyro autem, secundum Hiero-
 nymum, viginti milliaribus, distita erat, strenuus If-
 raelitiae gentis Dux BARAC, qui Sifferam, ducem exerci-
 citus Regis JABIN, ad montem Tabor, devicit, oriundus
 fuit. Altera urbium harum Palaestinarum erat שֵׁכֶם,
 SICHEM, ab illa, quam Dinae stuprum, Iosephi sepul-
 chrum, aliaeque plures res, olim nobilitarunt, quam-
 que posteritas Neapolim, vulgus Naplozam, vocat, neu-
 triquam, ut videtur, diversa. EUSEBIO sane, qui con-
 trariam tuerit sententiam, veteres obloquuntur Indaei in Commentariis, Tanchuma, sive Tetramedenu, in-
 scriptis, ubi Neapolim asylum fuisse, diserte adstruitur.
 Ceterum, ut ut Sichem haec apud montem potius,
 quam super monte, posita fuisse appareat, commodum
 tamen, vel eam ob caussam, fugitivis ista accessum ad
 se praebebat, quoniam vicini montes, Garizim et Hebal,
 indicium satis manifestum iter facientibus suppe-
 ditabant. Parum vero huic sententiae obstare vi-
 dentur loca Ios. XX, 7. et XXI, 21. per quae SICHEM urbs
 montanis Ephraim vendicatur, cum urbium in montanis
 quoque nostris, quale Freybergense est, extructarum,
 non omnes in montibus, sed plurimae potius in plani-
 tie, ac vallibus, ibidem conspicuae sint. De חַרְבָּר CHE-
 BRO-

BRONE, asylo *Cis-Jordanino* ultimo, vel, si a meridiana incipias plaga, primo, strictim tandem observamus, quod urbs haec, in meditullio fere tribus *Iudacae* sita, in Scriptura S. nobilis semper, et a multis rebus, sive patriarcharum commorationes, sive etiam *Davidis* regiam, quam, priusquam totius *Israeles* regnum obtineret, ibidem habuit, spectemus, plurimum illustris, imo etiam *Tzobane*, sive *Tani*, urbe *Aegypti* regia, ut ex Num. XIII, 23. et Iosephi, Antiqu. C. IX. constat, annis videlicet septem, antiquior extiterit.

IV.

De his *Ebraeorum* asylis *Geographi*, et Scripturarum *Interpretes*, in universum adnotant, quod cuncta propemodum in montibus, eum quidem in finem, ut e longinquo conspicí possent, constituta fuerint. Miséri enim homines, qui, quadam infelicitate, sanguinem improviso fuderant, certo itinere, *Praesiditriam urbem*, procul hoc modo conspectam, tuto petere potuerunt. Imo usque eo benignissimum Numen, docentibus *Magistris*, istorum calamitati succurendum putavit, ut, ne innoxio suo sanguine poenas vindicibus darent, atque ita terra magis, magisque, pollueretur, ipsas etiam vias, quae ad asyla ducerent, parari accurate, atque instrui, mandaverit. Si forte humilio alicubi terra, vel torrente, aut fluvio, aliquo intercepta erat, pontem sternere debebat magistratus, ne fugiens percussor hacaret, atque ita, practer spem, a vindice sanguinis occuparetur. Latitudinem viae non minorem XXXII. cubitorum fuisse, COCCEIUS, ad *Misnae* l.c. Sect. 5. prohibet, adeo, ut ubicunque in bivia, vel trivia, ista scindebatur, pro-

B

peran-

perant fugam , אָסְטָלִוֹת , ^{אַשְׁלָוֹת}, *Hermæ* , quibus, conspicuo chartere, מְקֻלָּת , h.e.REFVGIVM,REFVGIVM, inscriptum erat, direxerint. Simile quid in nostris aequa, ac peregrinis,oris usu hodienum venit, ut scilicet in compitis , quae ad conspicuas dicunt urbes, perticæ surgant, lignea sua manu rectam viam indicantes. MAIMONIDES, in *Hilch. Rotzeach* l. c. insuper moner, quod singulis annis, quarta decima mensis *Adar* , qui Februario nostro, ex parte, respondet, emissi fuerint, qui vias istiusmodi, hyemalibus corruptas imbris, repararent, pontesque , si flumina intercurrerent, labefactos , aut excusso, restituerent. Illud insuper hic adnotant eruditæ, quod par fere viae spatium, ex quovis *Terræ Sanctæ* angulo, ad unamquamlibet urbium istarum , comodissima adeo illarum, per universam regionem, dispositio, et distantiæ aequabilis, extiterit. CHEBTHON enim urbs vergebatur ad *Meridiem* , CEDES ad *Septentrionem* , SYCHEM vero inter duas istas media interjacebat. Ipsa oppidorum conditio in *Gemara* f. 10. p. 1. sic declaratur.

עירום הלו אין עושן אותו לא טרין. וְאֵין שְׂמַחַת אֶת־עֲדֵי־עַמּוֹת כְּנָנוֹת
 קְשָׁנִים וְלֹא כְּרוּכִים גְּנוּלִים אֶלָּא עִירּוֹת בְּנָנוֹת
 וְאֵין מְשִׁיבָן אֶת־עַמּוֹת. אֶלָּא כְּמֻקּוֹט מִם וְאֵם אֶת־שְׁמִים
 מְבָקָן לְהַמְּסִיס וְאֵין מְשִׁיבָן אֶת־עַמּוֹת אֶלָּא
 כְּמֻקּוֹט שְׁוּקִים וְאֵין מְשִׁיבָן אֶת־עַמּוֹת אֶלָּא גְּמֻקּוֹט
 אֶכְלָלָן נְהַעַטָּה אֶכְלָלָה מְסֻפָּה עַל־חַזְקָה נְמַמָּה
 רְיוֹחוֹן מְבָקָן לְהַמְּסִיס כְּהַנְּמִינָה לְיָמִים וְשָׁוֹאָלִים וְאֵין כְּרוּכָן
 בְּחָן לֹא כְּלֹו זְיוּן וְלֹא כְּלִי צִירָה רְדִרְנָחָמָה וְרְכָסִים מְרִירָן
 שְׂיוֹן שְׁאֵן פּוֹרָסָן בְּחָכוּם טְצִוּרוֹת וְאֵין מְפָשָׁלָן חַכְלָה
 כְּרוּ לְחָכָם שְׁלָא תְּחָא רְגֵל נְוָאֵל הַמְּסִיחָה שְׁבָבָה :
 i.e. *Ad asyla non deligunt castella, neque urbes magnas, sed oppida mediocria: constituuntur eadem nonnisi locis aquo-*

agros, aut quo aqua deduci possit, nec nisi ubi sit copia rerum venalium; nec nisi populosis. Si populus eorum, habitatoresque, diminuantur, novi illuc ex sacerdotibus, Levitis, Israelitisque ceteris, deducuntur. Non venerunt ibi arma, aut venationis instrumenta, ex sententia R. Nehemiae; quod tamen sapientes permittunt. In hoc tamen consentiunt, neque retia loricis expandi, neque restes fieri, uti nec pes vindicis eo accessum habeat.

V.

Ad praefidarias insuper urbes referenda quoque erant suburbia, mille cubitorum intervallo, ab ipsis distincta, ita quidem, ut ulterius haec, per duo cubitorum millia, versus quamque orbis plagam, procurrerent. Verba huc facientia Num, XXXV, 4.5, ita habent: זמגראשׁוּ דָּוּרִים אֲשֶׁר הָרְגוּ לְלוּם מִקְרֵי חָעֵר: Ad prae*sidiarias* insuper *urbes* referenda quoque erant *suburbia*, mille *cubitorum* *intervallo*, ab ipsis *distincta*, ita quidem, ut ulterius haec, per duo *cubitorum* *millia*, *versus* *quamque* *orbis* *plagam*, *procurrerent*. *Verba* *huc* *facientia* *Num*, *XXXV*, *4.5*, ita *habent*: וְמַגְרָשׁוּ דָּוּרִים אֲשֶׁר הָרְגוּ לְלוּם מִקְרֵי חָעֵר: *Ad* *praefidarias* *insuper* *urbes* *referenda* *quoque* *erant* *suburbia*, *mille* *cubitorum* *intervallo*, *ab* *ipsis* *distincta*, *ita* *quidem*, *ut* *ulterius* *haec*, *per* *duo* *cubitorum* *millia*, *versus* *quamque* *orbis* *plagam*, *procurrerent*. *Verba* *huc* *facientia* *Num*, *XXXV*, *4.5*, ita *habent*: וְמַגְרָשׁוּ אֱלֹף אַמְתָּה סְכִיבָּן: וְמַרְחָםָתָּה מְחוֹן לְעִיר אֲתָּה וְרוֹצָחָתָּה אֱלֹף בְּאַמְתָּה וְאתָתָּה נְגָב אֱלֹפִיתָתָּה פְּאַמְתָּה וְאתָתָּה נְגָב יְסָדָתָּה אֱלֹפִיתָתָּה וְאתָתָּה צְפָן: Hoc est, ut nos ista interpretamur: Quantum attinet ad suburbana loca, sive agros suburbanos, quos Levitis attribuetis, ita quidem circa dimensionem istorum occupabimini, ut מִקְרֵי a pariete, sive muro, וְרוֹצָחָתָּה, versus partem istam exteriorem, ubi suburbia incipiebant, metiamini mille cubitos, qui scilicet intercedinem, muros inter et ipsa suburbia, constituere debebant. Porro vero, מְרוּם מְחוֹן לעיר, mensurabitis, ab exteriori hac urbis parte, versus quemvis mundi angulum, Orientalem putata, meridianam, Occidentalem, et Borealem, אלף בְּאַמְתָּה, duo millia, incubito, sive cubitorum, eum quidem in finem, ut suburbiorum longitudinem accurate constituere queatis. Bene enim hic

B 2

monet

monet SAMVEL REYHERVS, in *Matthei Mosaic* p. 378.
 Deum semper squalores, et spurcitem, praesertim in
 populo suo, detestatum fuisse, id quod in primis ex praece-
 pto, de castrorum conspurcatione vitanda, *Deut. XXIII,*
 13. demonstrare satagit: Hoc itaque in causa fuisse, cur
Levitae stabula pecorum suorum, mille cubitos, ab urbe
 removere jussi sint, ne scilicet sterquiliniis plateae, et a-
 lia loca, qui mos hodie nunt, in rebus publicis bene con-
 stitutis, obtineat, coinquinarentur. SIMON PATRI-
 CIVS, ut in *Comment. super Num. XXXV*, 5. p. 560. tan-
 tisper in hanc secedat sententiam, quod extra urbium
 muros, quaqua versus, tria cubitorum millia, ipsis urbi-
 bus adhuc dum adnumeranda, procurrerint; in eo tamen
 REYHERI rationes non parum conturbare videtur, quod
 unum cubitorum mille, et istud quidem, quod muris
 proximum erat, suburbii, proprie sic dictis; reliqua ve-
 ro duo cubitorum millia suburbiorum agris demum ad-
 propriet. Aliam prorsus, ab utroque, viam, in suis, super
 PENTATEUCHVM, *Comment. avii*, ingreditur IO-
 CLERICVS, quando, ad nostrum hunc delatus locum,
 certum esse existimat, quod יְהָוָה alibi parietem, et mu-
 rum, hic autem, quod sequens manifesto doceat versi-
 culus, *centrum* significet. Hoc enim sensu, haec tenus
 ignoto, τὸ γῆρας acceptum, a radice γῆρας, ortum sunt
 traxisse, inde potissimum conjectat, quod Graeci similiter
 οὐρανός, ἀντὶ τῆς οὐρανοῦ, a pungendo, ad unum ferme omnes,
 derivent. Speciosa sunt, fatemur, quae huic suae hy-
 pothesi superstruit VIR CL. sed ita omnino, si, ad accu-
 ratius examen revocentur, comparata, ut cum non
 paucis adhucdum conflictentur difficultatibus, quas, si
 non omnes, plurimas minimum, per significatum γῆρας
 ordi-

ordinarium, nullo, *Interpres*, negotio, dissipabit. MENOCHIVS in, de *Republ. Hebraeorum*, p. 108. seq. VILLAPANDVS, CORNELIUS a LAPIDE, SERARIVS, aliique, *Romanae Ecclesiae* promachi, mire se hic disseruant, ut, *Latinum*, et *Graecum*, textus, qui ab *Ebraeo* non parum deviant, inter se concilient. Nobis ut omnino hic sufficit, quod ipse SERARIVS, Quaest. 8. ad C.XXI.IOS. ingenuo fateatur, Textum *Ebraeum*, et hic locorum, incorruptum esse; ita obiter saltim, cum RITTERSHVSIQ, de *Iure Asylorum*, C. 4. adnotamus, quod in *Gentium* quoque templis, quale EPHESINVM, Dianae sacrum, fuit, asyli limites, nunc latiores, nunc angustiores extiterint, imo TACITVS *Annalium L. III.* p. m. 128. ex re- censione *Lipisi*, templum quoddam inducat, cuius sanctitas, *Perpennae*, *Saurici*, multorumque aliorum imperatorum, indultu, ad duo passuum millia se extende- rit. Conf. POLLVX Libr. I. Cap. 1.

VI.

Porro supponi merebitur, quod ad *Praefidiarias* *Ebraeorum urbes*, quivis homicida, *Num. l. c. Com. 6. 12.* configurere potuerit, ibidemque, ob loci sanctitatem, secure tam diu se continere, donec, dicta caussa, vel damnaretur, vel etiam, probata judici innocentia, absolveretur. Pro innocentia vero iste demum declarabatur, qui, ut *Jos. XX, 3.* habet, רענְתָה וּבְרִית ignoranter, & inscienter, h.e. praeter intentionem, in furore irae, et sine isticusmodi proposito, ut scilicet aliquem, quem odio ante prosecutus non fuerat, trucidaret, homicidium quoddam commiserat. Neque vero cum LXX *Interpretibus*, et *Latino*; qui istos sequitur, existimandum est, quasi, cum ipsi unicum nomen apud IO-

SVAM reddidisse contenti sint, ταυτολογίας vitio textus authenticus hic laboret, siquidem sententia, eum in finem, potius gemitatur, ut omnis, quoad ejus fieri poterat, defensio scelestis ita homicidis praescindetur. Horum vero in numerum iste demum referendus erat, qui voluntarium quoddam homicidium, quale Num. 1. c. 20. 21. describitur, et ab Ebraicis בְּכָנָה et בְּזָרוֹן nuncupatur, perpetrauerat. Agit de hoc homicidii genere, ex professo, SELDENVS, de Iure Naturali et Gentium, juxta Disciplinam Ebraeorum L. IV. C. I. p.m. 473. ex edit. Argent. de a. 1665. ubi, postquam in varia istius genera, et poenam, tam coelestem, quam forensem, ordinariam item, et extraordinariam, fuisus inquisiverat, Capite subsequenti Secundo, homicidium involuntarium, seu, quod casu, et ex errore, factum erat, quodve Magistri בְּרָא כָּנָה vocant, accuratius, et diversas quidem species illius enarrando, examinat. Innocentibus vero, non Ebraicis tantum, sed etiam gentilibus, asyli iura indiscriminatum patuisse, et IOS. C. XX. v. 9. et MOSES Cap. XXXV, v. 15. aperte docent, quando is לְכָל בְּנֵי יִשְׂרָאֵל וְלַגְּרָא הַגָּר בְּהַוּכָּס Omnibus filiis Israel, et peregrino, peregrinanti inter istos; hic autem, לְכָל יִשְׂרָאֵל וְלַגְּרָא בְּתוּכָם, Filiis Israel, et peregrino, et inquilino, inter iros, urbium Praefidiarum copiam faciendam esse pronunciat. Equidem SELDENVS. c. Cap. I. p.m. 482. seqq. Prosclytos justitiae, aut circumcisios, ex mente Magistrorum, a Prosclytis domicilio, aliisve apud Ebraeos, gentilibus discriminans, subtilius, quam par erat, hoc super negotio, disputare videtur, siquidem vocabulum גָּר, non eos solum, qui προστηλύτων nomine veniebant, sed saepe etiam simplici-

pliciter *hominem peregrinum* significat. Praeterquam enim quod ipsi *Israelite* פְּנִיר, *peregrini*, in *Egypto* extitisse dicuntur, *Lev. XIX*, 34. in *Numeris* sane l. c. v. 15. praeter יָהִי etiam חַשְׁבָּן, h. e. *inquilinus*, hac sub lege complectitur. Accedit, quod absolum plane sit, cum Doctoribus *Ebraeis*, statuere, quasi alienigena, et *Mosse* institutis non iniciatus, si casu, et non malo animo, aut voluntate, caudem, apud *Israelitas*, patrasset, etiam si ad *praefidiariam* evasisset urbem, necari illico debuerit, cum DEus plane, et simpliciter, omnem innoxii sanguinis effusionem detestetur.

VII.

Integer processus, circa fugitivum, observandus, si ad *Num. XXXV*, *Deut. XIX*, & *Jos. XX*. ubi explicatus ritus hic describitur, debita attendimus diligentia, redactis in compendium verbis, huc fere redibat. Si quis homicidium quoddam commiserat, et iram, ac furorem, sanguinis vindicis, cui, ex veteri lege, ob populi duritiem, permisum erat, ut, sine alia judicis condemnatione, homicidam, quounque demum locorum iste reperiebatur, interficeret, effugere volebat; is ad *praefidiariam* quandam urbem, quae proxima ipsi erat, viris quibusdam sapientibus, ut MISNA l. c. *Sect. V.* tradit, stipatus, qui sanguinis vindici obviam procederent, eundemque a persecutione uberiori dehortarentur, suaderentque, ab omni vi tantisper ut abstineret, donec caussa, a Iudicibus, legitime cognita fuisset, citatis passibus contendebat. Delatus ad eam, stans ante portam *Jos. XX*, 4. Senioribus, pro tribunali, ut popularium caussas dijudicarent, ibidem consistentibus, exponere debebat summatim rationes suas, propter

pter quas eodem profugerat. Innocens ab his h. e. ta-
lis, cuius animus ab omni mala voluntate, consilioque,
caedis perpetrandae, alienus fuerat; vel, qui ad sui tute-
lam homicidium commiserat, deprehensus, non in ipsam
solummodo urbem intromittebatur, sed et, a magistra-
tu illius, in clientelam recipiebatur. Semel receptus tam-
diu, ab omni ulteriori examine, liber erat, donec vindex
sanguinis in jus eundem denuo vocaret, solennique adeo
judicio, hoc super negotio, coram testibus, hinc atque
inde, copiosus disceptaretur. Nocens homicida ne sic
quidem sanguinis Vindicta Levita, sacrarum rerum ad-
ministris, exhibebatur, sed alterius potius, in qua pecca-
verat, urbis senatus eundem ad se evocare, ac justae de-
num Vindictis irae, Deut. XIX, n. 12. permittere debebat.
Innocentis autem causa ubi, in rigorosiori judicio, vi-
ctrix tandem evasisset, ab omni quidem iste culpa, ho-
minisque occisi cognatorum vindicta, liber pronuncia-
batur, ita tamen, ut in exilio manere, et ex porta, sive
judicii loco, istius urbis, ad quam, salutis tuenda causa,
semel se receperat, in ipsam urbem reverti illum oport-
erit. Hujus intra pomoeria, atque agrum suburba-
num, qui certis spatiis, ut suo loco evicimus, descriptus
erat, ad sacerdotis usque summi, qui, tum temporis, re-
bus sacris praesidebat, mortem, homicida illiusmodi
tuto commorabatur, quem tamen, ex descriptis limiti-
bus egressum, Vindex sanguinis invadere, et impune pe-
rimere, valebat. Si enim, ut expressa habent verba,
Num. XXXV, 26. 27. egressus fuerit homicida, veneritque ul-
tra terminum civitatis refugii sui, ad quam confugit, et
invenerit eum vindex sanguinis, interficeritque vindex
sanguinis homicidam illum, — אן לו ר non ei sanguis;

five

sive, ut verti solet; Non est is reus. MISNA l.c. sett. 7.
 non sanguinis tantum vindici, sed unicuique, hoc in
 casu, homicidam perimendi, facultatem tribuens;
 רצחו שיצא הוּא ללחום ומצאו גואל הרם רבינו יוסט
 הנגלהו ואמר מצות ביר נואל הרם ושות ביר כל אורה
 ו עקיבא ואמר רשות ביר גואל הרם וכל ארם אין
 חיבתו b.e. Homicida, si limitibus urbis egressus sit, de-
 prehenderitque eum vindex sanguinis. R. JOSE GALI-
 LAEUS ait: Praeceptum est in manu vindicis, facultas
 in manu cuiusvis. R. Akiya: Facultas est penes vindicem,
 ceteri non tenentur ad poenam, illius nomine.
 BARTENORA, ad Misnica haec delatus, posteriori
 asserto prorsus dimisso, prius ita temperat, quod scilicet
 asyli finibus, de industria, egressum proximus occi-
 si agnatus impune perimere potuerit, ne antiquam ve-
 ro istum, qui, inscius, ex eodem exierat, liquidem, hoc in
 casu, ipse quoque sanguinis vindex interficia magistra-
 tu debuerit. Nos, ut meditationem hanc, ἀρεος γραφης suscep-
 tam, in medio relinquimus, ita de רם גואל vindice san-
 guinis, observamus, quod Αρχισένω, ut recte verba vertunt
 LXX, jure cognitionis sanguinem vindicans, iste fuerit,
 utpote cui fas erat, homicidam, sine fori sententia, obvium,
 praecupando, morte plectere. Vindex enim iste occiso
 tamarste sanguine esse debebat conjunctus, ut proximus
 eiusdem haeres existeret. מצח בגואל רם להרונו הרוץ וככל
 שמאחר גואל רום הואית את הרוץ וככל
 Praeceptum est de רראי לירושה הוא גואל רום:
 vindice sanguinis, (ut MAIMON. Halach. ROTZACH,
 cap. 1. et 6. scribit) ut is homicidam interficiat; juxta
 illud, quod dicitur. Vindex sanguinis morte plectat homici-
 dam. Et quisquis jure haereditario ei succedere debuisset, is

vindex erat sanguinis. Haereditatem hic omnino adire prius non poterat, quam Αγχίσῃ, sive, *Cognati occisi* sanguinem viudicasset. Si autem vindex istiusmodi interficere homicidam, aut detrectaret, aut nequiret, tunc, ex sententia forensi, ultimo hic supplicio, idque gladio, ut idem MAIMON. l. c. inculcat, puniendus erat. CONR. RITTERSHUSIVS, de *Iure Asylorum*, C. IV. ad hanc legem delatus, primariam istius rationem in eo positam fuisse hariolatur, quod omnes, qui ab uno stemmate descenderant, de injurya, occisi cognato illata, is vero in primis, qui sanguine proximus illi erat, participaverint. Et hoc quidem OVIDIVM allusisse, quando ita canit:

Cum Tibi sint fratres, fratres uliscere laesos,

Cumque pater Tibi, jura tuere patris.

Idem VIR CL. ex Alvarez, insuper observat, quod ABYSSINI, in hunc usque diem, homicidam illiusmodi agnato proximo, ut veritatem hic per vim extorqueat, permittant In Vindicis interim libertate, et arbitrio, apud Ebraeos positum plane non erat, ut in juris sui compensationem, pretium, aut lytrum, quoddam ab homicida reciperet, atque adeo ab imminentे eundem poena liberareret, *בְּפִשְׁתָּא שֶׁל זֶה הַמְהֻרְבֵּג אֲזֶן קְנָן גָּאֵל חָרֵם אַלְאָ קְנוּן* Vita, ut iadem MAIMON l. c. adiicit, *occisi bujus, non erat babenda in rebus vindicis sanguinis; sed in rebus Dei Opt. Max. juxta et illud quod, scriptum est; Num. 35. 31.*) Et non accipietis pretium, sive lutrum, pro vita homicidae.

VIII.

Illud porro uberiorem disquisitionem merebitur, cur scilicet, ut MISNA מס' מכות C. 2. Seit. 6. docet, non exilium ipsum, sed sacerdotis summi mors, caedem demum ex-
piave

piaverit? Innocens enim homicida in urbe ista, ad quam
 confugerat, subsistere debebat, הנורן הגורל עיר מות רחנן
 אשר־משהו אחר בשם הקורש: *ad mortem sacerdotis maxi-
 mi, quem unxit (DEUS) olco sacro. Num. l.c.v.25.* Quaestio
 haec eruditos, olim atque olim, tantopere excruciat, ut i-
 storum sententia in magna adhucdum varietate sint con-
 stitutae. Nos, ut studiose hic ista, quae MOSES MAI-
 MONIDES, in מורה הנבוכים h.e. *Doctore istorum, qui
 dubii, barent, P. III. c. 40.* KIMCHIVS, in suis, super IOS-
 VAM, *Commentariis*, ubi ex טריה aliquot rationes, a
 PAVLO FAGIO, in *Annotationibus*, quas in Cap. XXXV.
Num. ex Chaldaeo a se conversum, scripsit, compilatas
 aequae, ac expositas, affert, aliique urgent, argumenta
 filemus; ita operae premium esse putamus, ut, quid MASI-
 VS, in doctis, super IOSVAM, *Observationibus*, Cap. XX.
 „hac de re sentiat, strictum enarremus. Ego, inquit,
 „versi vercar, ne parum sit placitum, quod afferam; ni-
 „hil enim satis liquere potest in re tanta obscura; dicam
 „tamen, quod sentio. Igitur sicut exilium ipsum, ita etiam
 „hanc, de expectanda Pontificis, morte, legem, ad caedis
 „humanae immanitatem declarandum pertinere cen-
 „seo: quasi scilicet homicida, ut impurus, quippe hu-
 „mano pollutus sanguine, intra asylum, tanquam in-
 „tra praescriptas latebras, occultari tantisper debeat, neq;
 „possit inter alios homines liberum efferre caput, dum
 „superstes is est, quena in terris Dei primarium in-
 „pretem, et ejus divinae majestatis personam, quodam-
 „modo, adumbrantem, atque omnino omnis religio-
 „nis, pietatis, sanctitatis, ἁγιότητος, at principem, e subli-
 „mi munera sui solio, reip. statum semper contuentem,
 „ille, facinoris sui diritate, omnium gravissime offendit.

In primis vero referenda hinc esse, autumat, verba, quibus Pontifex unctus esse dicitur, בָּשָׂרְכָּה שֶׁמֶן, adeo sancto, quasi adeo, per illiusmodi facinus, ipsa DEI maiestas, in Pontifice, quadantenus, violata fuerit. Ceterum, ut Αναγνώσθη, ad quam Christiani Interpretes, ad unum ferme omnes, configuiunt, certissimam, et aptissimam, esse supponit, ita pie omnino judicat, quod genus humanum, nonnisi per mortem summi Pontificis, CHRISTI, in coelestem patriam, unde, per Adae errorem, semel exulare cooperat, reverti queat. Idem fere DAVID MARTIN, in Notis ad Biblia Gallicana, Num. l.c., oratione licet brevissima, inculcat: *Hec distinctio*, scribens, *qua ad mortem usque summi Pontificis, in Refugii urbe, exulare debebat homicida, summam istius maiestatem ita indigitabat, ut typum simili Jesu Christi, veri Pontificis foederis, inter Deum atque populum suum, in se continet.* SIMON PATRICIVS Comment. in Num. l.c. v. 25. p. 667. eo tandem dilabitur, ut existimet, quod, quoniam potestas hujus Pontificis undequaque fuerit maxima, ista in primis super Sacerdotum, et Levitarum, urbibus, quibus ipse praesidebat, se exeruerit. Probabile itaque esse, quod homicida, per peculiarem quandam actum majestaticum, tamdiu ibidem detentus fuerit donec cum ipso sacerdote iste expiraret, exulce adeo, sponte quasi, relaxareretur. Nos istorum quidem, haud gravatum, subscribimus sententiae, qui existimant, quod, ad Pontificis Maximi mortem, homicidae, etiam invito, exulandum fuerit, ut scilicet Ebraei diligentius sibi caverent, ne, per incuriam etiam, quemquam occiderent. Quemadmodum enim, sine iniustitia, homicida invitus plecti non potuit, ita et, sine ulla

an-

animadversione judicis, abire idem plane non debebat.
Vtunque vero de hoc quis existimet negotio, MISNA.
1.c. Seltz. 6. insuper commemorat, quod כוֹנוּת שׁוֹר כוֹנוּת MISNA. סְפָקָת רַחֲן מִתְהָ וְסְפָקָת כַּרְיָ שָׁלָא יְחִילָוּ עַל בְּנֵי
Matries sacerdotum victimum, et amictum, homicidis, in exiliu viventibus, sufficerint, ne scilicet filiorum suorum mortem precibus accelerarent. Facit huc, quod SVETONIUS, in Caligula, prodit, quod hic revocatum quendam, a vetero exilio, sciscitatus sit, quidnam ibi facere consuesseret, respondentem eo per adulatioinem: Deus semper oravi, ut, quod evenit, periret TIBERIUS, et Tu imperares: opinans sibi quoque exules suos mortem impetrari, miserit circum insulas, qui universos concrecidarent.

IX.

Ceterum, quantum ad ipsam constitutionis Asylorum Ebraicorum attinet rationem, erecta sine dubio, eum potissimum in finem, ista fuerunt, (1. ut innocentiae, ac innocentium, auxilium essent, et praesidium, neve adeo hominis ejusdam sanguis proterve funderetur, quo eo usque contaminabatur terra, ut expiari illa, nisi seelato sanguine ejus, qui, innoxio sanguine, eam foedaverat, plane non portuerit. Gen. IX, 6. Num. I.c. v. 33. (2. ut occisorum propinquis irae, et vindictae, materia, novarumque adeo rixarum, et caedium, occasio subtraheretur. Hi enim, ut, immaturo percussoris aspectu, subito violari poterant, ita istorum animi dolor, interea tempore, facile sanabatur. (3. ut in refugii latebris poenitentiae typus esset, et figura. (4. ut, cum Levitarum urbes haec essent, atque adeo a sacris personis habitarentur, tempus ibi melius, quam in aliis urbibus, inter Dei ministros, transigeret homicida, ut pote

C 3

qui

qui culpam negligentiac, cuius reum omnino iste se fecerat, ob oculos huic ponere, aliaque insuper peccata, quae per vitam olim commiserat, in memoriam revocare possent. Ut ut enim per imprudentiam, aut, reperitum animi motum, doloque carentem, rixam, vel contentionem, simultatis expertem, homicidium quis commisisset, perpetratum tamen facinus impune prorsus is ferre non debebat, sed, ut suae potius inconsiderantiae poenas quasdam daret, in temporaliquidam exilio vivere ipsum oportebat, dum asylo, tanquam carcere quadam, ad summi usque Pontificis mortem, conclusus detinebatur. Similem in modum de aequissimis rerum capitalium judicibus, AREOPAGITIS, qui noctu, et in tenebris, judicabant, ne ad dicentes, sed ad ea, quae dicebantur, respicere possent, quosve EPHETAE, in illo foro, cui a Pallade nomen erat, in fortuitis caedibus dijudicandis, sequebantur, relatum legimus, quod homicidiam imprudentem, neque sceleratum, επικαυτομόν, anno exilio, damnare consueverint. Intra hoc tempus oportebat homicidam placasse eos, quorum jus erat illum caedis postulare: deinde redibat, peractis sacris, quibus a caede lustrabatur, qua de re lex Athenis sequens lata erat: Τὸν αἰλόντα ἵππον δολοφόνον Φένω ἀνταυτῷ απελθεῖν ταῦτην ὁδὸν, καὶ Φιύγεν τῶς ἀντιδίστατα τινὰ τῶν δι γάρ τε πεποθότος. Ήκεῖ δὲ, καὶ θύσαι, καὶ καθαριζόντας. Qui alium casu fortuito, (ut apud SAMUELEM PETITVM, Comment. in Leges Atticas, Libr. VII. de Sicariis, Tit. I. p. 513. ex edit. Paris. de a. 1635, verba redundunt), necassit, in annum deportator, donec aliquem e cognatis occiso placarit; revertitor vero, peractis sacris, et lustrationibus. Ipsam enim ἄδονιν sequebatur καθάρεις, sive lustratio, quae

quae ab illis, qui *Pbarmati* dicuntur, sanguinis ablutione siebat. Ceterum cum istiusmodi homicidae, sacris, foro, territorio, urbis, imo *Africa* universa, qua, per annum, egredi ipsos oportebat, aliisque arcerentur, liceretque *videlicet*, *καὶ ἀνθρώπους καὶ θηρίους τε κατιόντας, ὅποι μὴ οὐκέτι*, nimurum intra patriae fines, ut idem PETITVS 1. c. p. 515. refert; Mitiori exilio multatus videri poterat *Ebraeus*, quando is ex agris quidem suis, non tamen ex ditione *Ebraeorum*, inter quos vivere adhucdum poterat, expellebatur. Caussa hujus rei non alia forsitan fuit, quam, ne a religione desiceret, aut, inter idololatras vivens, contra legem, cum iisdem versari cogeretur. Exilii vero speciem homicida illiusmodi, qui vita quidem, et ablutione, gaudebat, domo tamen, atque sede, sua pulsus erat, subire necessum habebat, ut ipse scilicet, (quae GODVINI, in *Mose* et *Aarone*, p. 187. verba sunt) *cristam*, *vindex autem bilem remitteret*. Quibusdam tamen in casibus homicidas ex praesidiariis urbibus, per omnem vitam, egredi plane non potuisse, MISNA 1.c. *Secl. 7.* per seqq. docet. *גַּם־מִרְאֵת כִּי חֲתוֹרָג בֶּן־כִּי שָׁהָר אַנְקוֹוִיצָא מֵשָׁס לְעוֹלָם וְאַנוּ וְזָא שָׁס תְּרוֹתָה תְּרוֹתָה שָׁמָחָה סְהִירָה שָׁפְרָה קְבּוֹרָתוֹ* Qui in interregno damnatus est, aut sacerdotem summum occidit, aut ipse sacerdos summus, si caudem patravit, nunquam egreditur asyla: Ibi erit ipse us commoratio, ibi obitus, ibi sepultura.

Abunde, ut putamus, liquet, quod asyla *Ebraeorum* ordinaria, non in tabernaculo, ut in templo, sed in urbibus, in quibus nullum erat templum, antiquitus

eus constituta fuerint, siquidem in istis divitiis cultus,
 homicidarum praesentia, aut, irruentium forsan ultorum
 vi, turbari facile, ac profanari, potuisset. De gentibus,
 e contra, certatim adnotant scriptores, quod asyla sua in
 templis, olim atque olim, adornaverint. Praeterquam enim
 quod CADMVS, quem XV. annis post IOSVAM, Chro-
 nologi quidam, vixisse perhibent, *Thebas* condituras, asyl-
 la ibidem posuit, quo et servi et liberi, ut ab omni
 poena exempti essent, confugerunt; In ipsa Atheniens-
 um urbe templa quatuor; extra eandem vero, in Py-
 raeo, duo, quibus asylijus concessum fuerat, atque adeo
 in universum tot, quot praefidariae urbes, apud Ebrae-
 os, obtinebant, conspicua fuerunt. Istorum, quae in
 urbe, primum erat, templum *Misericordiae*, ad forum,
 quod, postquam *Hercules*, ut scribi SERVIUS, ad VIII.
Aeneid. ceteris inigraverat, nepotes ejus, insidias eo-
 rum, quos avus affixerat, timentes, primi *Athenis* A-
 sylum, unde nullus abduci posset, sibimet conlocarunt.
 Secundum, *Minervae* erat, in arce, quod AGESILAUS
 memorabile in primis reddidit, postquam hic *Athenien-*
ses, in praetorio, in quo aliquot vulnera accepérat, victos,
 et ad templum hoc confugientes, violari yetuit. Plus e-
 nem, ut iudicat AEMILIUS PROBUS, in *Vita* ejus,
 apud ipsum salutis religio, quam ira. Quartum
 deinde, *Thesei* sanum, prope *Gymnasium*. Extra urbem, in
 Pyraeo, ad longum murum, erat altera *Thesei* aedicula,
 eodem, quo urbanum *Onciov*, asyli jure gaudens; et Mu-
 zybinae facillum, quo praeter istos, qui in Pyraeo habi-
 tabant, trierarchae in primis, atque nautae, confugiebant.
 Idem asylijus, quod certis *Deorum*, ac *Herorum*, templis,
 argue aris, non vero promiscue omnibus, concessum
 erat.

erat, apud Romanos quoque, ab ipso nascentis urbis exordio, auctore ROMULO, obtinuit, quando hic *Capitolinum* inter, et *Palatinum*, montes, in sacra sylva, similiter templum quoddam erexit, ad quod, scelestissimam quique, vitae, et salutis, fervandae caussa, se recipere potuerunt. De hac VIRGILIVS,

*Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer asylum
Rettulit etc.*

Aeneid. IIX

OVIDIUS, Fastrorum III.

Romulus ut saxo lucum circumdedit alto,

Quilibet hic (inquit) confuge : tutus eris.

Iti vero imprimis scelerum immunitatem facile impestrabant, qui ipsas, in templis, aras, quae et inde, *Confugii arae*, nuncupabantur, complexi sunt, quale quid de *Hercei Iovis* ara, ad quam *Priamus*, aliquie *Trojani*, con-fugerant, P. MARO L. II. Aenid. sigillatum adnotat. Cum itaque ab asylis, qualia, temporis successu, apud *Molossos*, *Samotraces*, *Crotoniatis*, *Messenios*, et plerosque alios etiam populos, constituta fuerunt, vi abripere neminem liceret; vel, valvis templorum obstructis, fame ibidem enecabantur scelerati; vel ignis, ut inde arcerentur, admovebatur. Minutus itiusmodi quid *Hermione*, apud EVRIPIDEM, *Andromachae*, in cognomine fabula, sedenti ad *Tbetidis* signum:

πῦρ σοι περσοῖσσω.

Scholia. Εθος ήν τοις εἰς βαμὸν καταφεύγοντι πῦρ πεσοφέεν. Et, ex eodem quidem hoc more, PLAVTVS, Mostellaria, Act. V. Sc. I.

Jam jubeto ignem, Carnifex, circumdari.
Quemadmodum vero asylorum *δοφάλεια*, cum ipsis pene Deorum cultus primordiis, et Deorum oraculis, sancta esse, et adeo olim, atque olim, obtinuisse videtur, ita posteritas,

D

glo-

gloriae cupidine, atque superba arrogantia, ut suam ma-
 jestatem amplificaret, abrepta, statuas quoque ^{rum} A-
 rcanas jus, idemque longe sanctius, tribuere non du-
 bitavit. *Caesarum* enim *statuas*, non in fanis solum-
 modo, et auguratis locis, sed in triviis quoque, colloca-
 tas fuisse, praeter L. SENECAM, L.I. de *Clementia*, Cap.
 18. C. SVETONIUS, in *Tiberio*, C. LIII. alii, adnotant.
 Imo, Romani demum *Pontifices* illud arroganter sibi sum-
 ferunt, ut apud quaevis templo, et coemiteria, apud Do-
 mos religiosas, et Ecclesiasticas, quasvis, apud Episcopos,
 et nescio ubi non, asyla constituerint, atque ita *In-
 dianum*, *Gentilium*, et *Christianum*, miscendo, multis
 rem Christianam modis, quo de imprimis HOSPIANVS
 de *Templo*. L.I. Cap. 15. conqueritur, fauciaverint. Ha-
 berent forsan frequentia istiusmodi asyla majoris mi-
 scericordiae speciem, si innoxiorum hominum salutis
 caussa, adaperta fuissent; verum quod homines, cuiusvis
 flagitio obnoxios, imo, omnibus sceleribus confertos, tu-
 tentur, id quidem videtur longe esse indignissimum. In-
 dulgentiores sane legum istiusmodi latores, dum cle-
 mentiae laudem, ex scelerum imputitate, affectant, optimos
 quosque maleficorum libidini exponunt, cum nulla
 major peccandi libertas sit, quam quae spe impuni-
 tatus inducitur. Elegans sane C. CESTII, Senatoris, apud
 Tacit. L.III. p. 115. est oratio, qua in asyli jus, deterrimo
 cuique, apud *Principum* *statuas*, *concessum*, invehit: *Princi-
 pes* quidem, assuerans, *instar Deorum* esse: Sed neq; a Diis,
 nisi justas supplicum preces audiri, neque quemquam in
Capitolium, aliave urbis templo perfugere, ut, eo subfido, ad
 flagitia uiatur. Deus, enim homicidarum, adulterorum,
 aliorumque facinorosorum, non patronus, aut defensor,
 sed

sed ultor potius est acerrimus. Pudeat itaque CORNELIVM; a LAPIDE, Comment. in Num. XXXV. i. hoc super negotio , ita differentem: *Iudaei tantum habebant asylum pro homicidis involuntariis ; Christiani vero asylum habent fere in omni criminе , et periculo. Ex urbe refugii Iudaci extrahiri poterant ad judicium , ut in eo causa eorum ventilaretur , et , si deprehenderentur occidisse voluntarie , ac proinde non habere ius asylī , morte multabantur ; Iam autem nec judex , nec quis alius , reum Christianum ab asylō abstrahere potest.* Multo rectius TIBERIVS, Imperator Ethnicus , primarias principum partes esse judicavit , ut facinorosorum receptratores , protectoresque , isti non essent , sed meritis potius in istos poenis animadverterent. Ius itaque , moremque , asylorum , quae usquam erant , ut SVETONIUS , in Vita Ejus , Cap. XXXVII. narrat , abolevit , hoc est , ut TACITVS Libr. III. verba interpretatur , modum huius rei adhibuit ; et , plerisque Graecorum templis , ius asylī , postquam suo haec aevo quibusvis sceleratis impunitatem praestarent , eripuit . Optima hinc IVSTIANI , ista fuit sanctio , qua (Nov. XVII. cap. 7. pr.) sceleratos homicidas , adulteros , virginum raptore , ab asylis abstrahendos , dignisque afficiendos esse suppliciis , sancivit .

XI.

Neque vero , ut ad priora , unde paululum digressi sumus , revertamur , existimandum est , quasi omne , ad altaria configiendi , ius paeclsum Ebraicis , ademtumque , fuerit . MOSIS minimum aevo , et ante ipsam urbium praefidiariarum consecrationem , innocentem , in praesenti vitae discriminē constitutum , ad altare con fugere potuisse , dubio caret , siquidem benignissimus Deus , Exod. XXI. v. 14. severe praeciopiens , ut ab ipso al-

D 2

tarj

rari suo homicida temerarius abripiatur, omnino supponit, quod innocens tuto isthuc confugere potuerit. Humano enim sanguine altare polluere, nefas erat, quod factum utique fuisset, si illic homo, quem, ne in profano quidem loco, propter involuntarium delictum, perire fas erat, occisus fuisset. Ipsae vero fugitivorum urbes, postquam per Iosuam consecratae fuerunt, ad altaria confugiendi jus, licet non prorsus sublatum, valde tamen limitatum fuit, ac restrictum. Prope tabernaculum enim, aut templum, et in ipsis Hierosolymis, si quis commorabatur, cum, ne a vindice sanguinis occuparetur, ad idem confugere potuisse, probabile est. Quod vero de parte altaris superiore comminiscuntur RABBINI, quasi, אֵין קָרְבָּן לְאַלְיָהּ גְּגַדְּבָּתָה tutelam non praestiterit alia altaris pars, practer ipsum teatum, seu, corporis altaris partem superiorem, ut refert SELDENVS, l. c. p. m. 491. id quidem ita comparatum est, ut magis gentilium supplicium, aris insidentium, juxta Tibulli istud:

Et Veneris sanctae confidam vincitus ad aram:
quam Ebraeorum, consuetudinem sapere videatur. In
horum enim altari cum sacra quotidie essent facienda,
propius est, ut credamus, quod supplices prope altare,
in tuto, tam diu collocati fuerint, donec, vel saerodo-
tum ope, et auxilio, ab occisi consanguineis, venia istis im-
pretraretur; vel etiam, postquam asyli urbes erectae fue-
runt, custodes supplici adjungerentur, qui in unam ex istis,
sine dubio, proximorem, cum deducerent. Accedit, quod
IQABVS, ad templi Hierosolymitanus, altare confugiens, non al-
tare ipsum concenderet, eidemque insederit, sed בְּקָרְבָּתָה
apprehenderet altaris cornua, h.e. manubria aenea, ad
cornuum bovinorum figuram facta, ut cum IO. SPENCERO,
de Leg. Mos. L. III. Dis. I. c. 4. IO. CLERICVS ad Exod. C. XXVII. 2.
existimat, vel, quod FORTVNATVS SCACCHVS Myrothea.

2. Eleon-

2. Eleobris. c. 69. et SIMON PATRICIVS, n. 29. ad. I. c. conje-
 ctant, aeneas pyramides, utpote circum quas langes sacrificiorum, Lev. XVI, 18. fundi commode poterat, cum ibi q. oq; ut
 E. V. i. קן locum, sive, rem eminenter, significet. Quod vero
 IOABVS cornua altaris non amplexus fuerit, in altari sedens,
 aperte indicat sequens v. 29. ubi cum a Benaja iste trucidaretur,
 נבנ' יתמכחו prope altare, commemoratus fuisse dicitur. Et,
 per haec tenus quidem disputata, ista quoque Rabbinorum con-
 cedit opinio, a Seldeno, l.c. p.m. 49. in medium proposita, quaff
 scilicet solis sacerdotibus, et his, sacra tantum facientibus, a
 tare jus aysli praefiterit. Recte enim, ex Ioabi facto, contrari-
 um eliceret satagit GODVVINVS, l.c. cui et, hac in parte, con-
 tra DAVIDEM MARTINIVM, in Notis ad Biblia Gallicana, Ex
 XXI, 14. quando hic ex eo, quod IOABVS ad altare imperfectus
 fuit, concludit, quasi Deus omnem ad altare, confugiendi, usum
 propter magnos, quibus idem ipse profiterit, abusus, summovere
 prorsus, ac abolere, voluerit, subscrivendum esse existimamus.
 Ceterum, cum RABBINI sublestam istam, quam de sacerdo-
 tum fovent privilegio, sententiam juri Tlamudico, per quod
 non nisi sacerdotibus, ad altare accedere licebat, superstruxerint;
 hoc vero novum, et istiusmodi sit, ut firmas quis, maxi-
 me, ubi de antiquioribus temporibus sermo est, deducere in-
 de nequeat consequentias, parum et hic fidendum ipsis erit.
 Non desunt interim, ut SELDENVS, l.c. p. 49. habet, qui assertum ita moderantur, quod scilicet omnes, ab ordinaria mortis
 sententia liberi, ad altare, tutela causa, se recipere potuerint,
 sive sacerdotes isti (his enim ex jure ordinario aditum illuc
 tantum patuisse,) sive ex Ebraicis, et ceteris circumcisis, extine-
 rent. Semel enim, qui, hac ratione, altare apprehenderint, hos
 tutos ibidem fuisse, nec מות ליעול סמכה, מות אורה, nec
 divellendo unquam ab altari, ut mortis judicio traherentur. Ne-
 que etiam IOABO, qui, Abner et Amasa, caedis reus, cornua
 altaris amplexus fuerat, tutelam, praefarsi non debuisse,
 nisi etiam ob parratum facinus,
 ultimo, ex jure ordinario, et sententia forensi, supplicio rite
 plecti potuisset.

CLARISSIMO DOMINO
RESPONDENTI

S. P. D.

PRAESES.

*Q*vanta et ingeniourum, et indolis humanae,
detur varietas, vel inde, haud gravatim, col-
ligi potest, quod alii, passibus nimium concitatis;
alii, tardiori, quam par erat, gradu; alii de-
nique, et paucissimi quidem, constanti, et aequabili
gressu, ad metam propositam contendant. Quos e-
nim concitatio spiritus, in florenti, agitat, aetate, bi-
fere nihil non insolentis, cum Phaetonte, et Icaro, au-
dient, et, in imis adhuc herentes, debitq; virium ad-
paratu defituti, sine, vel mutuatis saltim, pennis e-
volare, summaque appetere non erubescunt. Quo
fit, ut praesentissimas inter ruinas, illataque rebus
damna, quod animum turbatum soletur, amissam-
que famam reparet tandem, non inveniant. Alii
contra, qui viribus suis prorsus diffident, minus-
que, quam res ipsa postulabat, de se sperant, late-
bras amant, et spissa nocte circumsepti, cum tamen
in luce, inter circuum plausus, versari possent, in via,
quam semel ingressi sunt, anxi, ac queruli, sem-
per incedunt, et sibi solis sapere contenti, vestigia,
aliis minus trita, morosiori animo, legere malint.
Deplorandam, utrorumque, conditionem isti demum
sepi-

sapienter declinant, qui vitae, studiorumque, rationes ita ineunt, ut nec, nimium properando, ad interitum festinent, nec, privatis meditationibus iugiter immergi, arborum sterilium instar, reise publicae inutiles reddant; sed collectos, et reconditos, animi thesauros, justo tempore, modeste exprimant, et in proximi salutem, atque commoda, dispensent. Quorum in numerum cum TV, Respondens Clarissime, referri imprimis merearis, est, cur de TE optima quaeque ominari, certoque considerere possim, fore, ut sibi, quam Patroni, et Fautores, de Te sibi conceperunt, maximam, felici successu, propediem sis impleturus, conatuumque, et laborum, cum laude, in literis susceptorum, frumentum, non sine animi voluptate, percepturus amplissimum. Praeterquam autem, quod in Gymnasiis variis, et vicina imprimis, Lipsiensium, Academia, quae TE, ab ineunte aetate, alumnus sum profisetetur, et sibi, gremioque, sollicite fecit, egregios, in omni disciplinarum genere, secisti progressus, ad nostram tandem Leucoream delatus, non minorem impendisti operam, ut ad altiora mature contuleres, usque artibus animum, ante omnia, imbueres, quas per omnem vitam, plurimum TIBI profuturas, tuopte judicio, recte intellegebas. Sedisti, banc ob causam ad pedes Gama.

lie



lielum Tuorum singulari cum ardore, et constan-
tia, sacratoribusque sigillatis disciplinis to-
rum TEMancipatus, in illud naviter incubu-
isti, ut autenticos in primis, Veteris, et Novi, Testa-
menti, textus familiares TIBI redderes, et lingua-
rum, quae faciem istis praferunt lucidissimam,
subsidiis stipatus, strenue tandem opus sacrum
urgeres. Et hinc evenit, ut non ex umbone
tantum Ecclesiastico, cum populi plausu, perora-
re saepius, sed et varios, in Academica Cathedra,
constitutos, Commititones publice aggredi, eru-
ditosque cum iisdem sermones, de thematibus, in
disceptationem propositis, perite miscere, pecto-
re que, ad instigendos, et recipiendos, ictus, bene
praeparato, Opponentium tandem subsellia, cum
Respondentium scanno, sub ipsis novi anni au-
spiciis, fausto, felicique, sidere permutare potu-
eris. Meum hic est, ut conatus, longe honestissi-
mos animitus TIBI gratuler, Deumque precer
immortalem, ut re, in superiori quoque cathe-
dra, ex voto, propediem confecta, super difficul-
tibus cunctis, quae remoram animi destinatis in-
gicere poterant, felicissime triumphes. Dabam
e Museo, meo IV Non. Januar.

M DCC XV.


HB 153000 (1)



5b.

KD 17





9.

DISSE^RTAT^O PH^ILOLOGICA
DE
פָרִי מִקְלַט בְּלִיִּם
SIVE
**PRAESIDIARIIS
LEVITARVM
VRBIBVS,**

Quam
AVSPICIO
SERENISSIMI PRINCIPIS ATQVE DOMINI
DOMINI
FRIDERICI AVGVSTI

ELECTOR. SAXON. HEREDIS,
IV. NON. JANVAR. A. R. G. M D C C X V .
IN AUDITORIO MAIORI
Publice tuebuntur
PRAESES

**JO. CHRISTOPHORVS
VVICHMANNSHAVSEN,**
Linguarum Orientalium Prof. Publ. Facult. Philosoph. Senior,
& Biblioth. Academ. Director,
&
RESPONDENS

M. DANIEL ROSENFELD,
Lipsiensis.

VVITTEBERGAE, TYPIS SCHROEDERIANIS.